



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 2. An Deus, vt reuelatione constituit obiectum credibile, sit formale
obiectum fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

Altera verò pars probatur: quia alias fides tantum esset quædam opinio, quod (vt scribit Bernard. Epist. 190. ante medium) videtur sensisse Abailard. vocans fidem æstimationem quasi ex opinione pendeat, non certa veritate subsistat: alioqui posset quilibet formidare, & dubitare de veritate fidei, sicut formidamus, & dubitamus de his, quæ per solam rationem probabilem tenentur, Non ergo fundatur fides in ratione, sed (vt inquit Petr. 2. Canonic. capit. 1.) habemus firmiorem propheticum sermonem, cuius beneficiis attendentes &c.

2. Assertio
bipartita.

Ostenditur
prior pars
assert. ex
Script.

6. Dico secundo: Deus ipse, quem credimus, est etiam prima ratio credendi: atque adeo obiectum formale fidei. In hac assertionem conueniunt Theologi, D. Thom. hic articulo primo & 1. p. quæst. 1. art. 3. & 7. & reliqui in Prolog. sentent. & in 3. dist. 24. Altissiod. statim in principio Summa in proemio, & Alenf. 3. p. quæst. 68. Et quoad substantiam, seu fundamentum assertionis, est clara doctrina fidei: nam Scriptura sæpe docet veram fidem ad salutem necessariam, ipsi Deo inniti: sic dicitur Genes. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, quod dicit Paul. ad Roman. 4. scriptum esse, propter nos, quia fidem illam, & credendi modum imitari debemus, vt iustificemur, & ita de se ipso dicit idem Paul. 2. ad Timot. primo. Scio cui credidi, & certus sum, & ad Thess. epist. prima capite secundo accepisti illud, non vt verbum hominum, sed vt vere est verbum Dei, & sic etiam Ioan. prima epist. capite quinto Quicredit in filium Dei, habet testimonium Dei in se: & similia sunt frequentia in Scriptura, & ideo merito dixit Ambros. lib. de Abraham capite tertio & libro secundo Epistoliarum Epist. 12. ad Valentinianum, Calimysterium doceat me Deus ipse, qui condidit, non homo, qui se ipsum ignorauit. Cur magis de Deo, quam deo credam? & Augustin. de Spirit. & lit. capit. 32. non dubium est, illem fidem ab Apostolo commendari, qua creditur Deo. Ratione etiam facile ostendi potest: nam imprimis de ratione fidei communi est, vt nitatur in testimonio dicentis, quia in hoc distinguitur à scientia, & ab opinione proprie sumpta, ergo hoc etiam conuenit nostræ fidei, & necessario sequitur ex præcedenti assertionem: quia cum non nitatur ratione, necesse est, vt in testimonio fundetur. Hoc autem testimonium, in quo fundatur fides Christiana, non est humanum, vt expresse docuit Paul. in citato loco ad 1. Cor. secundo cap. atque etiam Christus cum dixit, Cero & sanguis non reuelauit tibi. Neque etiam esse potest testimonium angelicum: tum quia ipsi met Angeli indiguerunt fide fundata in altiori testimonio, & eiusdem rationis est nostra fides: tum etiam, quia testimonium Angelicum, secundum se spectatum, fallibile est, sicut testimonium humanum, & ita mali Angeli sæpe homines decipiunt. Quod si boni Angeli loquantur, vt ministri Dei, sic Deus est, qui principaliter testificatur: ergo solum relinquatur testimonium diuinum, quod sit proprium fidei fundamentum, iuxta illud Ioan. primo. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, & illud ad Galat. 1. Non secundum hominem, sed secundum reuelationem Iesu Christi: imo Christus ipse in quantum homo, totum hoc refert ad Patrem, dicens Ioan. 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. Est ergo Deus ipse nostræ credulitatis, ac fidei fundamentum.

Ostenditur
posterior
assert. pars.

7. Ex hoc autem principio facile, ac manifeste concluditur altera pars assertionis, scilicet, Deum esse obiectum formale nostræ fidei, quia in omni habitu intellectus, vel scientia obiectum formale est illud, quod illuminat obiectum, & est medium seu ratio assentiendi illi: sed Deus hoc modo est ratio credendi per fidem infusam, ergo est eius obiectum formale. Minor probata est, maior autem constiat ex principiis Metaphysicæ, & potest inductione ostendi in fide humana, cuius formale obiectum est

testimonium humanum, quia illud est ratio credendi per talem fidem: similiter scientia habent obiecta formalia ex medijs assentiendi: & ratio est, quia intellectus tendit in veritatem sui obiecti: ergo id, quod ostendit veritatem in obiecto, est formale obiectum cognitionis, seu assensus. Atque hoc magis explicabitur, & confirmabitur ex duabus sectionibus sequentibus.

8. Ad fundamenta hæreticorum solutio patet ex dictis. Ad illud Sapientis: Qui cito credit, leuis est cor de, Bernardus respondet, Sapientem loqui de fide humana, quæ cum nitatur homini, qui facile potest decipere, non est cito adhibenda, & sine dubio est sensus literalis: nam Sapienter loquitur de his, qui facile credunt detrahentibus de alijs. Addere vero possumus: etiam illud esse verum, sano modo intellectum, in fide diuina, non enim cito est credendum dicenti se habere reuelationem diuinam, sed oportet expectare prudentem, an Fides, vel reuelatio sufficienter proponatur, vt infra videbimus disputat. 4. sect. 2. & qui hoc modo credit, non cito credit. Imo Discipuli, qui non ita crediderunt, vt stulti, & tardi corde reprehenduntur, & Zacharias punitus est, quia non credidit facta sufficienti reuelatione. Atque hoc modo intelliguntur alia testimonia, Quod spiritus probandi sint, sicut Beatissima Virgo cognouit qualis esset illa saluatio, & tamen nec nimis cito, nec tarde credidit, sed quando oportuit: & ideo Fides eius commendatur, Beata, qua credidisti, & non credit propter rationem, sed propter testimonium sibi propositum, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Ad rationem primam respondetur, ad credendum necessarium esse aliquam intelligentiam obiecti, non prout in se est, sed prout proponitur, & offertur ad credendum. Neque est impossibile assentiri veritati: quæ per rationem non ostenditur: nam satis est quod in testimonio dicentis ostendatur. Imo Augustin. dicto libro de Vtilitate credendi capite 10. & sequentibus, ostendit sine hoc genere cognitionis, & assensus, non posse homines gubernari, neque in humana societate viuere, quia præcipua pars humanarum actionum, in aliqua fide fundatur: non enim esset amicitia: vel quouis humanus contractus, nisi vnus alteri crederet, & sic de alijs.

Ad fundam.
entia n. 8

Ad 1. confir-
mar. ex ratio-
ne ibid.

Ad secundam.

SECTIO II.

Verum Deus, quatenus reuelatione sua constituit obiectum credibile, sit obiectum formale fidei.

Ratio dubitandi esse potest, primo, quia obiectum formale debet esse aliquid reale, & intrinsecum existens in obiecto cognoscendo: sed Deus, vt reuelans, non ponit in obiecto credibili aliquid reale, sed tantum extrinsecam denominationem: ergo vt sic, non potest esse obiectum formale: alias tale obiectum cõlisteret in relatione rationis, quia illa denominatio nihil aliud ponit in obiecto. Secundo obiectum constituitur in esse credibilis per ipsummet habitum fidei, quatenus relatus ad obiectum credendi: ergo Fides non terminatur ad illud obiectum, vt credibile est, seu sub ratione credibilis: ergo obiectum formale fidei non est credibile, vt credibile; ergo neque est Deus, vt reuelans, & cõstituens obiectum credibile. Primum antecedens sumitur à simili ex Arist. 5. Metaph. cap. 13. dicente obiectum esse scibile quatenus scientia refertur ad ipsum: est enim ex reatiuis non mutuis, quæ talia denominantur per habitudinem aliorum ad ipsa: ergo idem est cum proportionem, in obiecto credibili, & fide. Prima vero consequentia probatur ex Arist. ibidem: quia alias committeretur circulus, & idem à se ipso constitui diceretur: nam scientia constituitur per habitudi-

Prima ratio
dubitandi

2. Ratio

rudinem ad suum obiectum formale, ergo si hoc obiectum est ipsum scibile, quatenus scibile est, obiectum formale scientiæ constitueretur per ipsam scientiam, quia per ipsam constituitur obiectum scibile, ut dictum est. Item est hoc impossibile, quia obiectum est prius, & præsupponitur ad scientiam, sed ut scibile non est prius, cum sit tale per habitudinem scientiæ ad ipsum; ergo ut sic, non potest esse obiectum formale; ergo idem est cum proportionem, de credibili, ut credibile est. Tercio, ita se habet revelatio Dei ad obiectum credibile, sicut lumen intellectus agentis ad obiecta cognoscibilia naturaliter; sed non propter hanc causam lumen intellectus agentis est obiectum formale omnium cognitionum intellectualium, alias omnes scientiæ, imo omnes intellectiones naturales essent vnius speciei; ergo neque in præsentem id sufficit, ut Deus quatenus revelans sit obiectum formale fidei. Et confirmatur, nam Deus revelando est ut præceptor; qui non dicitur constituere formale obiectum. Denique, si Deus infunderet alicui omnes scientias, revelaret illas, & tamen revelatio illa non esset obiectum formale, alias omnes illarum scientiarum essent vnius: ergo, &c.

2. Hæc ferè argumenta proponit Aureol. in Prologo qu. de Vnit. Theolog. artic. 3. & propter illa, præsertim propter tertium, impugnatur D. Thomam dicentem Theologiam esse vnam, quia omnia cognoscit sub divina revelatione, sentiens Deum ut revelantem non esse obiectum formale Theologiæ; ac subinde negat fidei, utrinque enim est eadem ratio, ut dicemus. Arguit etiam D. Thom. contradictionem, quia in 1. p. q. 1. ar. 7. dicit Deum sub ratione deitatis esse obiectum formale Theologiæ, & in art. 3. dicit revelationem Dei constituere obiectum formale, & 2. 2. q. 1. ar. 1. Deum sub ratione primæ veritatis esse obiectum formale fidei. Sed hæc contradictio (ut hoc brevitè expediatur) nulla est: nam in illo art. 7. loquitur de obiecto quod, & de ratione formali eius in esse rei, sicut diximus in sect. præced. in alijs vero locis loquitur de obiecto formali, prout est ratio assentiendi, à quo solet habitus sumere vnitatem suam, ut patet in illo art. 3. par. Nihilominus tamen Vazq. circa illum art. disp. 7. cap. 3. loquendo de Theologia, negat Deum ut revelantem esse obiectum formale eius, & ex professo impugnatur distinctionem supra datam, quam etiam ibi tradit Caiet. de obiecto in esse rei, & in esse scibilis, seu credibilis, quia esse scibile seu credibile non potest pertinere ad obiectum formale specificans scientiam, vel fidem, & præcipue movetur secundum argumentum, seu rationem dubitandi supra posita.

3. Dicendum verò est, Deum ut revelantem, seu testificantem res credendas per fidem, esse obiectum formale fidei. Hæc est aperta sententia D. Th. dicto art. 3. nam licet loquatur de Theologia, necessaria inde inferatur idem de fide, quia revelatio divina non spectat ad Theologiam immediatè, sed mediantem fide, quia accipit propositiones fidei, ut immediate revelatas, & illis virtutem tanquam principijs; hanc etiam artic. 1. ait D. Thomas primam veritatem esse obiectum formale fidei, quia nihil creditur, nisi ut revelatum ab ipsa, quod bene explicuit, & notavit ibi Caiet. dub. 2. ubi expressè hanc sententiam docet, & latius Capr. in q. 4. Prologi concl. 3. & 6. & ad argumenta Aureoli contra illas. Idem tenet Scot. in 3. dist. 23. quæst. vnic. & dist. 25. q. 2. in fine. Richar. dist. 23. art. 4. q. 3. & dist. 24. ar. 1. q. 5. & alij Scholastici tam ibi, quam in Prologo, & recentiores communiter hic, & in principio primæ partis, & Bellarm. l. 1. de iustific. q. 1. Conrad. l. 2. q. 3. art. 6. §. Notapropfundam. Sylvest. q. 1. conclusi art. 10. ad 2. & art. 12. §. 1. Hispanens. d. 23. q. 1. ar. 3. notab. 3. Vega lib. 9. in Trid. c. 47. Et videtur mihi non minus colligi ex Scriptura, & Patribus resolutionem hanc, quam secundam al-

ferentem sectionis præcedentis, quia æqualiter, & eodem ferè modo docent Deum, & testimonium Dei, seu verbum Dei esse fundamentum primum nostræ fidei, iuxta illud, Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: & illud, Accepistis illud, non ut verbum hominum, sed ut verè est verbum Dei: & ideo Christus Dominus de se dicit Ioan. 18. Ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: & alibi Ioan. 15. Si non venissem, & locutus eis fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo: & similia sunt multa, quæ supra retuli: ex quibus planè constat Deum non ut in se manentem (ut dicam) seu hoc ipso, quod Deus est, sed ut testificantem, & dicentem, esse obiectum formale fidei. Ratio etiam hoc convincit, quia Deus non movet ad credendum nisi mediante testimonio suo, quo modo enim ei crederemus nisi nobis loqueretur? Ergo non est obiectum formale fidei, nisi ut testificans, & revelans.

4. Dices, inde solum probari revelationem esse conditionem necessariam ad credendum: nam cum sit quid creatum, non videtur posse pertinere ad obiectum formale fidei, quæ est virtus Theologica, & in solo Deo fundari debet. Respondetur licet species intelligibiles, vel signa, per quæ nobis proponuntur, & manifestatur testimonium divinum, pertineant ad conditionem necessariam, & quasi applicationem obiecti fidei, ut postea videbimus, nihilominus testimonium Dei, ut nobis obiectivè propositum (quod nomine revelationis semper hic intelligimus) non esse tantum conditionem necessariam, sed per se pertinere ad formalitatem obiecti: nam Deus ipse seu veritas eius, est quasi forma informans materiam fidei in esse credibilis, testificatio autem est quasi vniò, seu informatio talis formæ: unde sicut vniò formæ ad materiam non est sola conditio, sed causalitas formalis, ita etiam in præsentem se habet, cum proportionem, testificatio. Quod patet primo, quia Deus absolute consideratus non informat hanc materiam in esse credibilis; & prima, ac fortasse unica coniunctio, quam in ratione obiecti habet ad illam materiam, est testimonium eius: ergo illa est quasi vniò, & causalitas formalis. Deinde Deus secundum se potest multis modis revelare illas res, præsertim clare, vel obscure, & secundum hanc veritatem induit diversas rationes obiecti formalis: ergo signum est, revelationem pertinere ad obiectum formale. Tercio, id, quod est proprium motuum credendi, est obiectum formale fidei, sicut esse solet, cum proportionem, in scientia, & in quocumque habitu intellectuali: sed motuum credendi non est Deus utrumque, sed ut dicens, & testificans: ergo ut sic etiam est obiectum formale fidei. Denique ab hoc obiecto habet fides suam vnitatem: nam licet verberetur circa res varias, & distinctissimas, vna est: quia idem testimonium Dei, seu revelatio eiusdem rationis, in omnes illas cadit, ut notavit D. Th. supra, & in 3. d. 23. q. 1. ar. 1. quæstione 1. & contra per idem obiectum distinguitur hæc fides ab omni alio habitu intellectuali, & specialiter à fide humana, etiam si circa eandem materiam versari contingat: ergo signum est hoc pertinere ad obiectum formale, quod magis constabit ex solutionibus argumentorum.

5. Ad primum Caiet. hic ar. 1. ad 2. dub. respondet negando quoddam obiectum fidei, esse revelatum, sit aliquid extrinsecum, vel relatio rationis: quia licet esse revelatum (inquit) absolute sumptum possit esse denominatio extrinsecum, tamen esse revelatum à se in Deo est quid intrinsecum, scilicet, relevatione activa, seu actus revelandi, qui est ipsa substantia DEI. Sed non placet responsio. Primo, quia sub fide non solum cadit Deus, sed multa alia à Deo, quæ non revelant se, sed revelantur à Deo; ergo in illis esse revelatum est mera denominatio extrinsecum. Secundo quamvis loquamur respectu ipsius finis Dei,

Ratione etiam
convincentur.

Obiectio contra
proximam
rationem
soluitur.

Data solutio
patet.

Secundo.

Tercio.

Quarto.

Ad rationem
dubitandi in
1. Caiet. re-
sponsio.

Non placet
Non 2.
Dei.

Dei, Deum esse reuelatum a se, non potest addere Deo aliquid reale intrinsecum: tum quia illud est liberum Deo, & quidquid est liberum, ut tale est, solum addit Deo respectum rationis: tum etiam quia esse reuelatum est quid conueniens Deo ex tempore: at temporale predicatum solum ponitur in Deo relationem rationis, vel denominationem extrinsecam: tum denique, quia reuelatio actiua non est substantia Dei, sed actio transiens, immerito enim dicunt aliqui, ipsam scientiam Dei internam, seu increatam, esse reuelationem: nam scientia Dei non innotescit nobis per se ipsam, sed per aliquid aliud, scilicet per locutionem: illa est ergo reuelatio. Locutio autem Dei actio transiens est, ut ostendi libro secundo de oratione mentali cap. 12. num. 21. Confirmatur, quia alias possemus credere omnia, quae scit Deus, quia omnia essent reuelata: addit ergo reuelatio aliquid extrinsecum Deo, vel aliquid rationis. Propter quod Capresol. supra respondet, quod licet formale obiectum, quod sit aliquid reale: formalis, sub qua, potest esse ens rationis. Sed licet formalis in re non multum discrepet a veritate, modus tamen loquendi mihi non placet, quia ens rationis in rigore, est quid fictum, & accidentale, & non potest esse motuum, & ratio assentiendi.

Cur scientia Dei per se dicatur reuelatio.

Responsio Capresol. qualis.

Vera solutio.

6. Dico ergo obiectum formale in se, quid reale esse, scilicet diuinam veritatem suo testimonio applicatam, & ita posse esse rationem assentiendi rei testificatam, etiam si in illa nihil ponatur intrinsecum, sed solum extrinsecam denominationem, quae dici potest fundamentum relationis rationis. Neque hoc est nouum, quia respectu actuum humanorum, & moralium, magnam virtutem habent formae extrinsece denominantes ad mouendum intellectum, vel affectum: amor enim amantem me, quamuis esse amatum, in me fit denominatio extrinseca: & in fide humana credo aliquid, quia est dictum ab alio etiam si esse dictum sit denominatio extrinseca. Neque in presenti obstat, quod reuelatio sit quid creatum: nam veritas Dei est increata, & illa est, ut dixi, quasi principalis forma, reuelatio autem est quasi informatio, quae totam suam excellentiam, & infallibilitatem habet a forma increata, quod explicari facile potest exemplo beatitudinis obiectiuae, & formalis respectus per: nam satis est quod beatitudo obiectiua sit increata, licet formalis creata sit, sicut etiam in mysterio Incarnationis, licet vnio sit quid creatum, quia Verbum increatum est, inde habet suam excellentiam, & infinitatem.

Ad secundam in eod. num. 7. responsio.

7. Ad secundum, imprimis negari non potest distinctio obiecti in esse rei, & in esse cognoscibilis, quam praeter auctores citatos docet expresse D. Thom. 1. 2. q. 54. art. 2. ad 1. & patet, quia constat in intellectu aliud esse obiectum, quod cognoscitur, seu cui intellectus praebet assensum, & aliud esse rationem assentiendi: & in voluntate constat eandem materiam posse amari, vel odio haberi ex diuersis motibus, quae mirum in modum actus distinguunt, ut patet in detestatione eorundem peccatorum propter Deum, vel propter timorem inferni, & pae-na eius. Ratio autem motiua constituit rem in ratione cognoscibilis, vel amabilis, & ita necessario distinguitur obiectum in esse rei, ab obiecto in esse cognoscibilis, & inde cõtingit ut quae sunt distincta in esse rei, sint vnum in esse cognoscibilis. & e contra, ut quod est vnum in esse rei, sit multiplex in esse cognoscibilis, vel amabilis. Secundo dico argumentum fundari in sola æquiuocatione vocis, & ideo nullius esse momenti. Dupliciter ergo potest denominari obiectum scibile: vno modo tanquam correlatiuum scientiae, eo modo, quo esse potest, & ita de illo locutus est Aristoteles in 5. Met. & de illo, ut sic, procedit argumentum: tamen sub illa denominatione non ponitur obiectum formale scientiae, & hoc probat illa ratio, & dicitur latius in sectione sequenti.

Respondetur 2. notando dupliciter dici obiectum scibile.

quanti. Alio vero modo dicitur obiectum scibile in ratione obiecti motui, quatenus est veluti in aptitudine proxima, ut possit mouere intellectum ad scientiam, seu assensum, quod bene notauit Alex. Ales. 1. 2. q. 23. memb. 4. art. 6. ad penultimum, & in eodem sensu dixit D. Tho. 1. p. q. 13. art. 7. ad 6. scibile secundum potentiam esse prius quam scientiam: hoc ergo modo sumitur scibile quando constituitur in ratione obiecti formalis, & contra hoc nihil urget ratio facta. Idem ergo est cum proportionem de credibili: nam vno modo sumitur, ut terminus denominationis ab ipsa credulitate, & ut sic, non habet rationem obiecti formalis: alio modo sumitur ut obiectum dignum fide, vel aptum ad mouendum intellectum ad assensum, & sic dicitur esse obiectum formale. Imo hoc ipsum credibile subdistingui potest, ut infra videbimus: nam dici potest etiam credibile ratione sufficientis propositionis, & hoc etiam modo, non pertinet ad obiectum formale, sed ad conditionem necessariam fidei ad credendum: alio vero modo sumitur ut constitutum per proprium motuum, & rationem credendi, & sic dicitur esse obiectum formale. Denique hoc non negat idem Vazq. nam statim cap. 4. facitur testimonium diuinum, quatenus est ratio credendi omnia reuelata, esse obiectum formale fidei: non video tamen cur, vel qua consecutione, & doctrina negauerit eandem reuelationem esse obiectum formale Theologiae cum proportionem sumptam, scilicet, mediate, & quatenus per discursum applicatur ad conclusiones elicitas ex principiis fidei: Vnde etiam incidit in aliud inconueniens, dicens eandem esse Theologiam in homine catholico, & haeretico quoad conclusiones elicitas, quas vterque eliciunt ex principiis, quae credunt: nam sicut illi duo non habent eandem fidem, neque plane habere possunt Theologiam eiusdem rationis, cum Theologia natiuræ principijs eo modo, quo credita sunt, de quo latius sect. 11.

Item dubitatur, citat credibile.

8. Quae in tertio argumento proponit Aureol. paruit momenti: nam in primis nulla est comparatio, quae sit de intellectu agente, vel potius de naturali lumine intellectus possibilis ad reuelationem, seu testimonium Dei: etenim lumen intellectus non est ratio obiectiua, sed est principium efficiens cognitionem. Vnde potius comparari posset cum habitu fidei, de quo dicemus sectione sequenti: & ideo illud lumen non dat speciem actui, sed est veluti causa æquiuoca, quae potest facere effectus, seu actus specie distinctos, quatenus per diuersa media praebet assensus: quae media solent esse obiecta formalia motiua, & ad hunc modum se habet in presenti testimonium diuinum. Secunda etiam comparatio de praepatore, non est ad rem quia praepator non est ratio credendi, quae docet, sed est proponens, applicans, & explicans rationem credendi, seu assentiendi, nam si discipuli aliqua credant ex solo testimonio praepatoris: in illis, seu respectu illius assensus, non solum se habet ut praepator, sed etiam ut testis, & ratio credendi: ita ergo se habet Deus in fide, non solum ut praepator sed etiam ut testis, cui credendum est, & hoc modo dicimus esse obiectum formale. Tertia denique comparatio nullam habet similitudinem: nam si Deus infundat scientias, non ideo est ratio assentiendi, nec testis eorum, quae per tales scientias cognoscuntur, sed est tantum causa efficiens, vel extraordinaria, & quasi ex accidente, si scientiae sint ex suo genere acquisite, & per accidens infusae: vel est causa connaturalis, si scientiae sint per se infusae, & ideo non sequitur illas scientias esse vnam: quia effectus non habent vnitatem a causa, praeterim eminenti, & æquiuoca. In fide autem Deus est ratio credendi, quia est testis veritatum, quas reuelat, nulla ergo est comparatio. Alia vero difficultas, quam in presenti tangit Scotus, de processu in infinitum, qui sequi videtur

Ad 3. rationes dubitandi quoad similitudinem.

Quoad secundam.

Quoad tertiam.

videtur ex hoc modo explicandi obiectum formale fidei, infra sectione. 12. a num. 8. tractabitur.

SECTIO III.

Virum Deus sit obiectum formale fidei tantum vt reuelans, vel etiam vt auxilians, seu lumen fidei infundens?

Modo qui-
dam dicen-
di ex Scoto.

Non solet hæc quæstio sub his terminis disputa-
tari, tamen ad eam tractandam occasionem
nobis præbuit varia dicta Doctorum: primum sit
Scoti in 3. dist. 23. art. 2. ubi postquam proposuit ali-
qua argumenta contra modum explicandi obiectum
formale fidei per reuelationem, & testimonium
Dei, aliam adducit explicationem modi assentiendi
fidei: nimirum, vt assentiatur intellectus, non ex mo-
tuo aliquo, sed per se tendendo in veritatem pro-
positam, ac si esset per se nota solum ex intrinseca
virtute, & inclinatione ad obiectum apprehensum,
ad eum modum, quo habitus intellectus assentitur
primis principiis: hac interueniente differetia, quod
habitus principiorum connaturaliter assentitur,
quia videt connexionem immediatam extremor-
um, fides autem, quia illam non videt, operatur
supra naturam intellectus. Ad quem dicendi modum
suadendum, duo motiua præcipua intendit Scotus,
vnum est proxime insinuat, quia alias procede-
retur in infinitum in rationibus assentiendi per fi-
dem: aliud est, quia aliqui nulla esset ratio suffi-
ciens ad ponendam fidem infusam, vt necessariam ad
credendum.

In eo tamen
non persistit.

2. Verumtamen neque ipse Scotus in hoc dicendi
modo persistit; nec videtur satis intelligibilis, vt i-
pse etiam statim obijcit, quia sequeretur fidem non
præbere assensum rationali, & intellectuali modo,
sed per modum naturalis agentis, quod nec dici,
nec cogitari potest, quomodo enim intellectus præ-
bebit assensum nisi videat, cognoscat aliquod suf-
ficiens motuum assentiendi? Item alias assensus fi-
dei non esset liber, nec a voluntate pendens, quod
dici nequit, vt infra videbimus. Denique sequeretur
infantem baptizatum quasi necessario assentiri pro-
positioni, seu veritati fidei sibi propositæ, sine alia
instructione, vel motu ex parte obiecti, ex sola in-
clinatione habitus, quem in Baptismo recipit, quod
est manifeste falsum, & contra ipsam experientiam.
Et ideo ipse Scot. q. 1. Prolog. & in 3. distin. 25. fate-
tur, non posse lumen fidei, præbere assensum nisi ex
parte obiecti præcedat propositio illius, cum suffi-
cienti instructione, & reuelatione obiectiua.

Alius dicen-
di modus.

3. Dicunt vero aliqui non multum recedentes ab
illo priori dicendi modo, totum hoc, quod præce-
dit ex parte obiecti, solum esse conditionem necessa-
riam, sine qua non posset fides assentiri: nihilomi-
nus tamen rationem formalem, & motuum per se
assentiendi esse ipsummet lumen fidei, ac subinde
obiectum ipsum credibile constitui in ratione ob-
iecti formalis, quatenus est sub dicto lumine, & per
illud illuminatur, ac reuelatur. Vnde sic vt Deus,
quatenus infundens hoc lumen, sit obiectum for-
male fidei, & consequenter etiam sequitur, Deum
vt auxiliantem ad credendum, esse obiectum for-
male fidei, quia infundendo hoc lumen, auxiliatur.
Atque ita videtur sentire Arago. 2. q. 1. art. 1. qua-
tenus dicit ipsummet lumen fidei esse motuum, &
rationem credendi: idem sentit Banez ibi dub. 1.
conclu. 6. & ad 3. ubi ait, reuelationem solum esse il-
luminatorem veritatis, veritates autem fidei non
illuminari nisi per habitum fidei, & ideo illumina-
tionem, seu reuelationem, quæ est formalis ratio fi-
dei non esse à Deo nisi effectiue, à lumine autem fi-
dei formaliter: quod etiam plane sentit Canol. lib. 12.
de locis cap. 3. concl. 2. & 3. Fundamentum ergo est,
quia formalis ratio credendi est reuelatio; sed reue-

Suarez de Fide.

latio non est nisi infusio luminis fidei, vt probatum
est, referendo ipsam sententiam, & colligi potest ex
illo. 2. ad Cor. 3. Nos autem reuelat à facie gloriæ Domini
speculantes: scilicet, per fidem, vt ibi communiter ex-
ponitur. Et confirmatur, quia obiectum formale
intellectus semper est res cognoscenda, vt existens
sub aliquo lumine, quia, vt diximus, constituitur
obiectum formale in ratione cognoscibilis; per lu-
men autem sit cognoscibilis, quia omne, quod mani-
festatur lumine est; ergo etiam obiectum fidei formale
constituitur per aliquod lumen, quatenus sub illo
existit: ergo per ipsum lumen fidei: quia nullum al-
liud supernaturale lumen est in credentibus, obie-
ctum autem formale fidei supernaturale esse debet.

Confirmatur.

4. Ad hanc sententiam ex parte accessit Molin. 1.
p. q. 1. art. 3. disp. 2. licet alio modo, & ex distincto fun-
damento; fatetur enim testimonium Dei pertine-
re ad rationem formalem obiecti fidei, non tamen
esse integram rationem, sed quasi inchoatam, &
consummari per habitudinem ad ipsummet lumen,
seu auxilium fidei; ita vt integra ratio formalis sit
reuelatio Dei, vt credibilis per lumen infusum: in
cuius fauorem citari potest Albert. Mag. in 3. dist. 24.
art. 1. dum dicit fidem esse de his, quæ supra rationem
sunt, quatenus probatur per reuelationem Dei, &
lumen fidei, quod etiam habet ar. 2. ad 5. Fundamen-
tum præcipuum Molinæ fuit, quia testimonium,
seu reuelatio Dei, est motuum de se indifferens ad
fidem infusam, & acquisitionem earundem propositio-
num: ergo non potest esse integram obiectum
formale fidei infusæ. Probatur consequentia, quia
integrum obiectum formale dat speciem vltimam,
& habet quandam adæquationem cum illa, & cum
ea conuertitur. Antecedens vero probatur, quia et-
iam hæreticus, qui retinet aliquas propositiones fi-
dei, illas credit, quia Deus illas reuelauit, & tamen
non credit fide infusæ, sed acquisitæ, vt est constans
apud omnes. Vnde sumitur confirmatio: nam obie-
ctum formale, si sit specificum, determinat suffici-
enter potentiam ad specificum actum, obiectum
autem, vt reuelatum à Deo præcise sumptum, non
determinat intellectum ad actum fidei infusæ, nisi
accedat lumen fidei, vel auxilium: ergo signum est
non esse illud completum obiectum fidei infusæ.

Præcedenti
modo acce-
dit Molin.

Ratio præci-
pua Molinæ.

Tandem confirmatur, quia nec repugnat, neque est
nouum, vt idem lumen, quod ex parte intellectus
est principium intelligendi, ex parte obiecti cōpleat
rationem formalem obiecti, illuminando, scilicet,
ipsum obiectum: sic enim lumen gloriæ, & est prin-
cipium visionis, & complet in Deo rationem for-
malem obiecti illius visionis: nam Deus, quatenus
illuminabilis illo lumine, seu quatenus mediante
illo, potest vniri intellectui in ratione speciei, est ob-
iectum formale illius visionis, quia nullum aliud
formale obiectum ibi excogitari potest: nam Deus
secundum se tantum, est materiale obiectum: simile
est de naturali lumine intellectus, quod est prin-
cipium assentiendi propositionibus per se notis, &
nihilominus propositio per se nota non est obiectum
formale talis assensus, nisi quatenus est, vel esse po-
test sub illo lumine, reliquum enim materiale est: sic
etiam medium demonstrationis secundum Philoso-
phum est principium efficiens assensum conclusio-
nis, & nihilominus est ratio formalis obiecti eiusdē
assensus, quia est motuum assentiendi, vt hic dixit
D. Thom. art. 1. Denique lumen visibile iuuat effectiue
potentiam visiuam ad videndum, & nihilominus
est obiectum formale respectu coloris in esse visibi-
lis: ergo similiter lumen fidei licet effectiue iuuat po-
tentiam ad credendum, potest simul complere ob-
iectum formale fidei in esse credibilis.

Eius confir-
matio.

Confirmatio
ex quadra-
plici exem-
plo.

5. Nihilominus tota hæc sententia, quoad vt ranti-
eius partē mihi valde displicet, censeo enim lumen
fidei, siue sumatur pro habitu, siue pro auxilio, non
posse esse obiectum formale fidei, nec cōplementum
eius.

Vera assenti-
partim affir-
mativa, par-
tim negatiua